instituunt. Optime autem societas hominum coniunctioque servabitur
si ut quisque erit coniunctissimus ita in eum benignitatis plurimum con
feretur. Sed que nature principia sint communitatis et societa
tis humane repetendum videtur altius. Est enim primum quod cer
nitur in universi generis humani societate. Eius autem vin
culum est Racio et oracio que docendo/ discendo/ communicando/
disceptando/ Judicando/ conciliat inter se homines. Coniungit
que naturali quadam societate. Neque ulla re longius absumimus
a natura ferarum/ in quibus inesse fortitudinem sepe diximus ut in
equis in leonibus. iusticiam equitatem bonitatem non dicimus.
Sunt rationis enim et orationis expertes. Ac latissime patens
hominibus res ipsos omnibus inter omnes societas hec est/ in qua omnium
rerum quas ad communem hominum usum natura genuit/ est servan
da communitas. ut descripta sunt legibus et Jure civili hec
ita teneantur ut sit constitutum. Ex quibus ipsis cetera sic
observentur/ ut in grecorum proverbio est/ Amicorum esse com
nia omnia. Omnia autem videntur communia ea que sunt generis
eius. Quod ab Ennio positum in una re transferri in multas
potest. Ut homo qui erranti comiter viam monstrat/ quasi
de suo lumine lumen accendat. facit nichilominus ut ipsi
luceat/ cum illi antecederit. Una ex re satis precipit
ut quicquid sine detrimento commodari possit/ id tribuatur
vel ignoto. Ex quo sunt illa communia/ non prohibere aquam
profluentem/ pati ab igne Ignem capere/ siquis vellit
consilium fidele deliberanti dare. Que sunt hys utilia
qui accipiunt/ danti non molesta. Quare et hys utendum
est/ et semper ad communem aliquid utilitatem afferendum. Sed quoniam
copie singullorum parve sunt/ eorum autem qui hys egeant